

IN EPIPHANIA DOMINI

1 - *Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda etc.*¹ In hoc evangelio tria notantur: stellae apparitio, Herodis perturbatio, trium Magorum oblatio.

I - De stellae apparitione

2 - Stellae apparitio, ut ibi: *Cum natus esset*. In hac prima clausula MORALITER notatur qualiter quis de mundi vanitate convertitur ad statum novae vitae. Sed primo breviter HISTORIAM tangamus.

“Natus est Iesus nocte Dominicae diei, nam ea die, qua dixit: *Fiat lux. Et facta est lux*², *visitavit nos oriens ex alto*³”⁴. “Octavianus Augustus fertur in caelo vidiſſe virginem gestantem filium ad ostensionem Sibyllae, et ex tunc prohibuit, ne quis eum Dominum appellaret, quia natus erat *Rex regum, et Dominus dominantium*⁵. Unde POETA: “En nova progenies caelo demittitur alto”⁶. Fons olei per totum diem de taberna emeritoria largissimus emanavit; quoniam ille nascebat in terris, qui ‘unctus est oleo laetitiae prae consortibus suis’⁷. Templum Pacis funditus corruit. Romani siquidem pro pace perfecta, quae toti orbi sub Augusto Caesare imminebat, templum Pacis mirifice construxerunt, de quo consulentes, quamdui deberet durare, responsum est: Donec virgo pariat. Qui, gaudentes, intellexerunt: Ergo erit in aeternum, quia numquam virgo pariet. Sed ‘perdidit Deus sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobavit’⁸, quoniam in hora nativitatis dominicae funditus corruit”⁹.

“Tertia decima die ab ipsis nativitate, hoc est hodie, *Ecce Magi venerunt ab Oriente Ierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudeorum? Vidimus stellam eius*¹⁰. A magnitudine scientiae magi nuncupati sunt. Quos enim Graeci philosophos, Persae magos appellant. Venerunt enim de finibus Persarum et Chaldaeorum. Potuit enim fieri, ut in tredecim diebus super dromedarios longa terrarum spatia transmearent. Stella vero discreta erat a ceteris in splendore, in loco, in motu. In splendore, quem lux diurna non impedivit; in loco, quia neque in firmamento cum stellis minoribus erat, nec in aethere cum planetis, sed in aere vicinas terrae tenebat vias; et in motu, quia prius immobilis super Iudeam Magis dedit signum veniendi in Iudeam, qui ex deliberatione sua Ierusalem

¹ Mt 2,1 (Vg. *Cum ergo...*).

² Gen 1,3

³ Lc 1,78

⁴ P. COMESTOR, *Historia scholastica*, in Evangelia, 5, PL 198,1540; INNOC., *In Nativitate Domini*, sermo 2, PL 217,457.

⁵ Apoc 19,16

⁶ VERGILIUS, Ecloga IV,7.

⁷ Cf. Ps 44,8. L’Edizione cita Ps 44,8, per l’ultimo membro della frase, ma che dire dell’espressione “*fons olei... de taberna meritoria*”? Secondo H. PINTO REMA, o.c., II, p. 705, si tratterebbe del rifugio militare dove si sarebbe trovato Ottaviano: “*Emereor* infatti, significa “terminare il servizio militare”; *emeritus* è il soldato che lascia il servizio militare. C. VAROTTO (*S. Antonio di Padova, Le prediche*, V, Siena 1965, p. 35) traduce “taverna militare”. Per la versione italiana, G. TOLLARDO ne esce con l’espressione “vecchia taverna” e PINTO REMA usa il sintagma portoghese “insigne chupana”, cioè “bettola illustre”.

Ora, la “*Fons olei*” è il luogo, situato in Transtevere, dove Augusto fece costruire un rifugio per soldati feriti o veterani in congedo - *e-meriti*, benemeriti per azioni militari, da cui il “taberna emeritoria” di Antonio -. Presso questa taberna, secondo EUSEBIO DI CESAREA (275-339) e DIONE CASSIO (II-III s.), nel 38 a. C. scaturì improvvisamente una sorgente di olio nero, come di petrolio, che defluì per un giorno e una notte senza interruzione verso il Tevere. Il luogo fu dunque chiamato “*fons olei*”, e il prodigo fu interpretato come un segno della prossima venuta del Messia. Da qui il riferimento al Sal 44, salmo messianico – citato anch’esso da Antonio -. Le comunità cristiane ne fecero uso di oratorio e, più tardi inoltrarono la richiesta all’imperatore Alessandro Severo (222-235) per farne un luogo di culto dedicato alla Vergine. Il papa Giulio I (337-352), lo decorò del titolo di basilica, che ingrandita e decorata nel XII° s., divenne l’attuale chiesa di Santa Maria in Transtevere.

⁸ Cf. 1Cor 1,19.

⁹ INNOCENTIUS, *In Nativitate Domini, De sanctis* sermo 2, PL 217,457.

¹⁰ Mt 2,1-2 (Vg. *mut add.*)

tamquam caput Iudeae adierunt. Quibus egressis, tunc primo motu notabili praecessit eos. Quae, peracto officio, mox esse desiit, revertens in praeiacentem materiam, unde sumpta fuerat”¹¹.

Nota quod ‘haec dies dicitur Epiphania, ab *epi*, quod est *supra*, et *phanè*, quod est *illustratio*, quia hodie Christus manifestatus est per signum stellae. Dicitur Theophania a *theòs*, quod est *deus*, quia hodie [manifestatus], evolutis triginta annis, per verbum Patris, in flumine Iordanis baptizatus fuit. Dicitur et Bethphania a *beth*, quod est *domus*, quia, revoluto anno post baptismum, hodie in nuptiis infra domum fecit divinum miraculum’¹².

3 - *Cum natus esset* etc. Quid ista quattuor: stella, Magi, oriens, Ierosolyma moraliter significant, videamus.

Stella, divinae gratiae illustratio, vel veritatis cognitio. Unde Jesus, a quo omnis gratia, dicit in Apocalypsi, ultimo: *Ego sum genus et radix David, stella splendida et matutina*¹³. Jesus Christus, etsi filius, tamen radix, idest pater est David; vel, sicut radix portat arborem, sic misericordia Christi portavit David peccantem et poenitentem. Ipse, stella splendida in mentis illustratione, matutina in veritatis cognitione.

Magi, sapientes mundi, de quibus Isaia XIX: *Sapientes consiliarii Pharaonis dederunt consilium insipiens*¹⁴. Pharao, ‘qui interpretatur discooperiens virum’¹⁵, est mundus, qui, quem cooperit vanitate sua, discooperit in mortis miseria; non dat, sed accommodat, et in maiori necessitate accommodatum repetit, et sic nudum et miserum relinquit. Insipiens ergo est consilium ipsorum sapientum, qui consulunt aliena congregare, quae secum non possunt portare, accommodatis se onerare, quae per strictum foramen secum non possunt transferre. Ita enim angustum est mortis foramen, quod vix anima sola et nuda inde potest transire. Cum ergo venitur ad transitum, omne pondus temporalium deponendum; quia ‘peccata non sunt substantia’¹⁶, ideo de facili transeunt cum anima.

Oriens, mundi vanitas vel prosperitas. Unde Ezechiel VIII: *Vidi, inquit, et ecce viri dorsa habentes contra templum Domini et facies ad orientem, et adorabant ad ortum solis*¹⁷. Templum, humanitas Christi, vel vita cuiuslibet iusti. Contra templum Domini dorsa et facies ad orientem habent, qui, Passionis et mortis Christi obliiti, quidquid norunt, quidquid sapiunt ad mundi vanitatem vertunt. Unde conqueritur in Ieremia II: *Verterunt ad me tergum et non faciem. In tempore afflictionis suae, idest mortis, dicent: Surge et libera nos. Ubi sunt dii tui, idest deliciae et divitiae, quos fecisti tibi? Surgant et liberent te in tempore afflictionis tuae*¹⁸. Vel, contra templum dorsa habent et ad ortum solis adorant, qui iustorum paupertatem, humilitatem, afflictionem contemnunt, et felices illos dicunt qui deliciis et divitiis affluunt.

Ierosolyma, ‘quae interpretatur pacifica’¹⁹, status novae vitae, idest poenitentiae. Unde Isaias XXXII: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta*²⁰. Felix status, in quo est pulchritudo pacifica conscientiae, fiducia conversationis sanctae, opulentia caritatis fraternalis. Sicut ergo stella Ierosolymam traxit ab Oriente Magos, sic divina gratia ad statum poenitentiae trahit a mundi vanitate peccatores, ut regem natum quaerant, quaerentes inveniant, invenientes adorent. *Ubi, inquiunt, est qui natus est Rex Iudeorum?* idest confitentium, idest poenitentium? Regem poenitentium, in ipsis natum, quaerunt, qui poenitentiam agere proponunt. Nos, inquiunt, positi in *Oriente*, idest mundi vanitate, *vidimus stellam eius*, idest cognovimus gratiam ipsius, *et sic per eum venimus adorare eum*²¹.

¹¹ P. COMESTOR, *o.c.*, in Evangelia, 9, PL 198, 1541-1542

¹² Cf. INNOCENTIUS, *In solemnitate apparitionis Domini nostri Iesu Christi, De sanctis sermo* 7, PL 217, 485.

¹³ Apoc 22, 16 (Vg. ... *radix et genus...*; in GLO. ... *genus et radix...*)

¹⁴ Is 19, 11

¹⁵ Cf. HIER., *De nom. hebr.*, PL 23, 823: «Pharao, dissipans, sive discooperens eum».

¹⁶ Cf. GLO. ORD., Rom 7, 17: «*Sed quod habitat in me peccatum*. Quomodo habitat, cum non sit substantia, sed privatio boni?».

¹⁷ Ez 8, 7, 16

¹⁸ Ier 2, 27-28 (Vg. ... *Et in tempore...*)

¹⁹ Cf. GLO. ORD. et INT., Is 1, 1: «*Ierusalem, visio pacis*»; «*Ierusalem, “Visionem pacis”*».

²⁰ Is 32, 18

²¹ Mt 2, 2

II - De Herodis perturbatione

4 - Herodis perturbatio, ut ibi: *Audiens Herodes rex, turbatus est*²². Diabolus, rex turbae turbatae, turbatur. Turbatur et mundus, cum audit Christum in poenitentibus iam natum, et videt alios peccatores per gratiam conversos ad ipsum; dolet regnum suum diminui et regnum Christi quotidie augeri. Unde Exodo I: *Dixit Pharaeo ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus et fortior nobis. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur*²³. Astutia diaboli suggestione, malitia mundi blasphemia et iniuria opprimit filios Dei. Unde sequitur ibi: *Oderant filios Israel Aegyptii, et affligeabant illudentes eis; atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum*²⁴. ‘Frixorium iustorum, vita peccatorum’²⁵. *Moab*, inquit, ‘qui interpretatur ex patre, idest illi qui sunt ex patre diabolo’²⁶, *olla spei meae*²⁷, quia impius vivit pio, idest ad utilitatem pii.

Turbatus est Herodes, “qui interpretatur gloria pellis”²⁸, de rege paupere nato, qui dicit: *Claritatem ab hominibus non accipio*²⁹; et: *Gloriam meam non quaero*³⁰. *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo*³¹. Gloria pellis turbatur, quia decorum suum in nigredinem, mollitiem in asperitatem aspicit converti, unde Isaia III: *Erit pro suavi odore foetor, et pro zona funiculus, et pro crispanti crine calvitudinem, et pro fascia pectorali cilicum*³². Ista expositione non indigent, quia in poenitentibus ad litteram patent^{32bis}. Et in Exodo XXXIII: *Iam nunc depone ornamentum tuum, ut sciam quid faciam tibi*³³. Unde Esther XIV: *Esther regina configuit ad Dominum, pavens periculum quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus et luctui apta indumenta suscepit; et pro unguentis variae cinere et stercore implet caput, et corpus humiliavit ieuniis, omniaque loca in quibus antea laetari consueverat, crinium laceratione complevit*³⁴.

Esther, “quae interpretatur abscondita”³⁵, est poenitentis anima, quae a conturbatione mundi absconditur in solitudine animi et quandoque corporis; configuit ad Dominum, quia nusquam nisi in ipso est refugium a periculo iudicii, quod quasi praesens ei semper imminet, et ideo pavet. Deponit vestes gloriae, suscipit indumenta poenitentiae, et, pro unguentis variae delectationis, cinere sua fragilitatis et stercore propriae iniquitatis caput, idest mentem, implet; ieuniis instat; omniaque loca etc. Hoc est quod dicit GREGORIUS de Magdalena: “Quot in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta”³⁶.

III - De trium Magorum oblatione

5 - Trium Magorum oblatio, ut ibi: *Et ecce stella, quam viderant in Oriente*³⁷. O Dei misericordia, quae numquam obliscitur misereri! Ad se enim revertenti statim praesto est. Unde Isaías LVIII: *Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum*³⁸, *quia misericors sum, Dominus Deus tuus*³⁹.

²² Mt 2,3 (Vg. *Audiens autem...*)

²³ Ex 1,9-10 (Vg. *Et ait ad populum...*)

²⁴ Ex 1,13-14 (Vg. *Oderantque...*)

²⁵ Cf. GLO. ORD., Mt 10,38: «Peccata proximorum frixorium sunt sanctorum».

²⁶ Cf. GLO. INT., Gen 19,37: «*Moab, “Ex patre”*».

²⁷ Ps 59,10

²⁸ HIER., *Lexicon origenianum*, PL 23,1279

²⁹ Io 5,41

³⁰ Io 8,50 (Vg. *mut*)

³¹ Io 18,36

³² Is 3,24

^{32bis} Cf. *Dominica XIV post Pentecosten*, II, 212,9-14; REGINO PRUMENSIS ABBAS, *De ecclesiasticis disciplinis*, I,291, PL 132,245-246.

³³ Ex 33,5 (Vg. ... *ornatum...*)

³⁴ Esth 14,1-2 (Vg. *add*)

³⁵ GLO. ORD. et INT., Esth 2,7: «*Esther, “Absconsa. Nesciat enim sinistra quid facit dextera”*».

³⁶ GREG., *In Evangelia*, homilia 33,2, PL 76,1240; GLO. ORD., Lc 7,37

³⁷ Mt 2,9

³⁸ Is 58,9

³⁹ Deut 4,31

*Et ecce, inquit, stella. ‘Ad Herodem declinaverant; stellam perdidérant’⁴⁰. Recidivantes designant, qui, ad diabolum vel mortale redeuntes, gratiam amittunt; sed ab ipso recedentes amissam recuperant. Unde Ieremias III: *Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo duxerit alterum, numquid revertetur ad eum ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, idest daemonis et peccatis, tamen revertere ad me, dicit Dominus*⁴¹.*

*Et ecce stella antecedebat eos*⁴². Unde concordat Exodus XIII: *Dominus praecedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore*⁴³. “Columna nubis in die erat contra fervorem solis, columna ignis in nocte contra tenebras, et ut sibi a serpentibus providerent”⁴⁴. Nota quod divinae gratiae illustratio dicitur columna, quia sustentat; nubis, quia calorem solis, idest mundanae prosperitatis, refrigerat; ignis contra frigus infidelitatis, tenebras adversitatis, venenum diabolicae suggestionis.

*Usquedum veniens staret supra domum ubi erat puer*⁴⁵. Ecce finis laboris, meta itineris, gaudium requirentis, praemium invenientis. *Laetetur ergo cor quaerentium*⁴⁶ te, Iesu; et, si *quaerentium*, “quanto magis invenientium?”⁴⁷ Stella antecedit; columna praecedit. Illa ostendit viam ad cunabula Salvatoris, ista ad terram promissionis; et in cunabulis, terra promissionis, manans melle divinitatis et lacte humanitatis. Curre ergo post stellam, festina post columnam, quia ducunt te ad vitam. Parum laborabis, cito pervenies, et invenies desiderium sanctorum, gaudium angelorum.

6 - *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde*⁴⁸. Nota quod, in his tribus verbis triplex notatur gaudium, quod debet habere, qui gratiam perditam recuperat. Debet gaudere, quia in mortali non decessit, aeternaliter damnandus; quia ad gratiam, quam non meruit, est promotus; quia ad gloriam, si perseveraverit, promovendus. De hoc triplici gaudio, Isaias LXI: *Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo*⁴⁹.

*Et intrantes domum*⁵⁰. Dicitur in Luca XV, quod ‘filius senior, indignatus, nolebat domum intrare’⁵¹; filius vero prodigus iam intraverat, quia ‘in seipsum reversus’⁵² iam fuerat. Dictum est apostolis: *Neminem salutaveritis per viam*⁵³. Qui in via est foris est; et qui foris est extra domum est, et ideo salutatione indignus. Immo, ut dicit Amos V: *In omnibus plateis planctus, et in cunctis quae foris sunt, dicetur: Vae, vae!*⁵⁴

*Invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum*⁵⁵. Quia intrant, inveniunt; et quia inveniunt, procedunt et adorant. In pueru et Maria, innocentia et munditia; in eo quod procedunt, contemptus sui; in eo quod adorant devotio fidei designatur. Intrant ergo poenitentes in domum propriae conscientiae et inveniunt innocentiam quoad proximos, et munditiam quoad seipcos; et de hoc non superbiunt, sed in faciem procedunt, eum qui dedit devote et fideliter adorantes.

*Et intrantes domum, “scilicet diversorum illud, quod Lucas commemorat”*⁵⁶, *invenerunt puerum cum Maria* etc. Dicit ibi GLOSSA: “Cur non et Ioseph cum Maria inventus est a Magis? Ne

⁴⁰ Cf. GLO. ORD., Mt l.c.

⁴¹ Ier 3,1 (Vg. ... *duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra?...*)

⁴² Mt l.c. (Vg. add)

⁴³ Ex 13,21 (Vg. add)

⁴⁴ P. COMESTOR, *Historia scholastica*, liber Exodi, 30, PL 198,1157

⁴⁵ Mt l.c. (Vg. ... *supra ubi...*)

⁴⁶ Ps 104,3

⁴⁷ GLO. INT., ibidem: «*Laetetur cor quaerentium Dominum, “Qui bene operantes aemulantur. Quanto magis invenientium”*».

⁴⁸ Mt 2,10

⁴⁹ Is 61,10

⁵⁰ Mt 2,11

⁵¹ Cf. Lc 15,25,28

⁵² Cf. Lc 15,17

⁵³ Lc 10,4 (Vg. mut)

⁵⁴ Am 5,16. *Vedi anche: II,132,12 (Purif. I,4); II,510,1 (4^a Av,4); II,589,13 (2^a Epiph. 5).*

⁵⁵ Mt l.c.

⁵⁶ GLO. INT., ibidem: «*Et intrantes domum, “Diversorum illud quod Lucas commemorat”*».

aliqua inde malae suspicionis occasio daretur gentibus, quae primitias suas statim, nato Salvatore, ad eum adorandum miserunt”⁵⁷.

*Et apertis thesauris suis*⁵⁸. GLOSSA: “Thesauros nostros in via non pandamus donec praeteritis hostibus soli Deo ex occultis cordium offeramus. Ezechias, quia thesauros alienigenis prodidit, condemnatur in posteris”⁵⁹. “Depredari desiderat, qui thesaurum publice in via portat”⁶⁰.

7 - *Obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham*⁶¹. “Aurum ad tributum, thus ad sacrificium, myrrha ad sepulturam pertinet mortuorum. Vel, per haec tria in eodem Christo intimantur regia potestas, divina maiestas, humana mortalitas”⁶². Aliter. In auro, quod est clarum, solidum, et percussum non stridet, notatur vera paupertas, quae fuligine avaritiae non denigratur, vento temporalium non inflatur. Hoc ipsum facit res solida: cum scandalizatur non scandalizat, non remurmurat.

Item, ‘in Arabia, quae interpretatur sacra, est nemus, in quo thus et myrrha reperiuntur. Unde quicumque dominium istius tenent nemoris arabice sacri vocantur. Isti, cum nemus vindemiant vel incident, non funeribus intersunt, non congressibus feminarum polluuntur’⁶³. ‘Thus, arbor immensa atque ramosa, lenissimi corticis, sucum aromaticum velut amygdalae emittit. Thus dicitur a tundendo, vel a *theōs*, idest *deo*, cui adoletur; adulteratur autem admista resina vel gumma, sed dignoscitur sua proprietate. Nam thus igni impositum ardescit, resina fumescit, gumma liquefit’⁶⁴.

Arbor thuris, devotio orationis; quae est immensa contemplatione, ramosa fraterna caritate, quia tam pro amico quam pro inimico supplicat; lenissimi corticis, exteriori benignitate; emittit sucum lacrimarum aromaticum, redolentem in conspectu Dei. Unde Canticis IV: *Surge, aquilo*, idest, “Recede, diabole”⁶⁵; *et veni, austera*, idest, “Spiritus Sancte”⁶⁶; *perfla hortum meum*, idest mentem meam, *et fluent aromata*, idest lacrimae, *illius*⁶⁷. Iste sucus est refectio peccatorum, sicut lac amygdalinum refectio infirmorum. Orans pectus tundit, et devotio ad Deum ascendit. Sed, heu! hodie devotio orationis adulterina commistione corruptitur, scilicet resina vanaegloriae ut in hypocritis, gumma pecuniae ut in clericis miseris, qui orationes et missas celebrant pro denariis. Vera devotio igne divini amoris inardescit, corrupta vero vanitate fumescit, cupiditate liquefit.

Item, ‘arbor myrrha ad quinque cubitos proceritatis extollitur. Sponte manans, pretiosior ex ea sudor; elicitus corticis vulnere vilius iudicatur’⁶⁸. Myrrha, ‘ab amaritudine dicta’⁶⁹, est cordis vel

⁵⁷ GLO. ORD., ibidem. Cf. RABANUS MAURUS, *Commentarium in Matthaeum*, PL 114,759: «Quaeritur cur Ioseph simul cum pueru et Maria inventus a magis esse non dicatur, hoc est, ne aliqua malae suspicionis gentibus daretur occasio, quia primitias suas Salvatore nato statim ad eum adorandum miserunt».

⁵⁸ Mt 1.c.

⁵⁹ GLO. ORD., ibidem

⁶⁰ GLO. INT., Mt 13,44; GREG., *In Ev.*, hom. 11,1, PL 76,1115: «*Thesauro abscondito in agro, “Depredari desiderat qui thesaurum publice portat in via”*».

⁶¹ Mt 2,11

⁶² GLO. ORD., ibidem. Cf. RABANUS MAURUS, *Commentarium in Matthaeum*, PL 114,759: «*Per ista ergo munera genera, in uno eodemque Christo et divina maiestas et regia potestas, et humana mortalitas intimatur*».

⁶³ Cf. SOLINUS, *Polyhistor*, 46: «... regio thurifera distaminatur, Arabia appellata est, idest sacra: hoc enim significari interpretantur. Virgulta haec non sunt publica, sed [...] in ius posterum per successiones transeunt familiarum. Ergo quicumque dominatum istius tenent nemoris, arabice sacri vocantur. Iidem illi cum lucos istos vel metunt, vel incident, non funeribus intersunt, non congressionibus foeminarum polluntur».

⁶⁴ Cf. ISID., *Etym.* XVII,8,2-3, PL 82,620-621: «2. *Thus* arbor Arabiae, immensa atque ramosa, lenissimi cortices, ramis ad aceris qualitatem, amygdalae modo succum aromaticum fundens album [...]. Adulteratur autem admista resina, sive gummi, sed dignoscitur sua proprietate. Nam thus igni impositum ardescit, resina fumescit, gummi vero liquefit calefactum. 3. *Thus* autem a *tundendo* dicitur, quia [...] thus carpitur, et virgultis tunditur...». Cf. H. PINTO REMA, o.c., II, p. 715: «L’etimologia di *Thus* è *thiūo*, ‘offrire in sacrificio agli dei’. La radice è *thu*, ‘far bruciare’, che in latino dà *fu* e *fumus*».

⁶⁵ GLO. INT., Cant 4,16: «*Surge, “Recede vel infla”*».

⁶⁶ GLO. INT., ibidem: «*Aquilo, “Hostis”*».

⁶⁷ Cant 1.c.

⁶⁸ Cf. SOLINUS, o.c., 46: «In iisdem saltibus myrrha provenit [...]. Sponte manans pretiosior ex ea sudor est; elicitus cortices vulnere, vilius indicatur [...]. Maxima altitudine extollitur ad quinque cubita proceritatis».

⁶⁹ Cf. ISID., *Etym.* XVII,8,4, PL 82,621: «Myrrha Arabiae arbor [...] cuius gutta viridis atque amara, unde et nomen accepit myrrha».

corporis amara afflictio, cuius primus cubitus, mortis memoria; secundus, irati iudicis in iudicio praesentia; tertius, ipsius irrevocabilis sententia; quartus, inextinguibilis gehenna; quintus, societas omnium perversorum hominum et daemonum inevitabilis omnino et propinqua poenitentia, idest poena tenax. Quae sponte ex hac arbore fluit, pretiosior, idest Deo acceptabilior; quae vero vulnera infirmitatis vel adversitatis elicitor, vilior comprobatur.

8 - *Obtulerunt ergo Magi Domino aurum, thus et myrrham.* Sic veri poenitentes offerunt ei aurum purae paupertatis, thus devote orationis, myrrham voluntariae amictionis. Et nota quod, thus devote orationis et myrrha poenitentiae salutaris nusquam reperiuntur, praeterquam in Arabia, idest sancta Ecclesia. Quicumque haec volunt custodire et ex eis fructum colligere, debent se a cadavere iniustae pecuniae, cui avarus insidet velut cadaveri corvus, et congressu luxuriae separare.

Rogemus ergo Dominum, ut ista tria ei ita offeramus, ut cum ipso regnare valeamus, qui est benedictus in saecula. Amen.

IV - Sermo allegoricus

9 - *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso et dilacerato, a populo terribili, post quem non fuit alius, a gente expectante et conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius*⁷⁰. Haec prophetia est XVIII Isaiae, de conversione gentium, quarum hodie primitiae, scilicet Magi, detulerunt munus aurum, thus et myrrham Iesu Christo, *Domo exercituum*, idest angelorum. Unde Malachia I: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, dicit Dominus exercituum*⁷¹. Sed, ut gentilis populi miseriam et Dei liberantis misericordiam melius cognoscamus, de singulis verbis breviter disseramus.

Ille *populus* gentilis, cuius et nos filii, erat *divulsus* a Deo per idolorum culturam, unde de idolatriis Iudeis, qui adhaeserunt Ieroboam, dicit Osee IV: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum, "quia" separatum est convivium eorum*⁷². Ieroboam, ‘qui interpretatur divisio populi’⁷³, fecit, ut dicitur tertio Regum XII, *duos vitulos aureos, et dixit populo: Nolite ascendere in Ierusalem: Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegyptis*⁷⁴.

Item, erat *dilaceratus* diaboli vexatione, sicut legitur in PASSIONIBUS quorumdam apostolorum, quod ‘se coalentibus visum, auditum, gressum diabolus auferebat, et diversis passionibus vexabat’⁷⁵. Unde Marcus IX: *Et exclamans, et multum discerpens eum, exivit ab eo*⁷⁶. Et alibi: *Qui vexabantur a spiritibus immundis curabantur*⁷⁷.

Item, *terribilis* animi ferocitate, unde Habacuc I: *Ecce ego suscitabo Chaldaeos, gentem amaram et velocem, ambularem super latitudinem terrae, ut possideat tabernacula non sua*⁷⁸. Tres Magi venerunt de finibus Persarum et Chaldaeorum, adorare Dominum. Post quem non fuit alius populus ita terribilis, unde sequitur in auctoritate Habacuc: *Horribilis est et terribilis. Leviores sunt pardis equi eius et velociores lupis vespertinis*⁷⁹.

Sequitur: *A gente expectante.* Expectabat enim impleri illam prophetiam Balaam, Numeri XXIV: *Orietur stella ex Iacob, et consurget virga, vel "homo ex Israel"*⁸⁰ ⁸¹ ⁸². *Conculcata*, diversis

⁷⁰ Is 18,7

⁷¹ Mal 1,11

⁷² GLO. INT., Os 4,17-18: «*Particeps idolorum Ephraim, "Quia, factus est."*»

⁷³ Os 4,17-18

⁷⁴ Cf. GLO. ORD., 1Re 11,31: «*Ieroboam interpretatur diiudicans populum*».

⁷⁵ 3Reg 12,28 (Vg. ... et dixit eis: *Nolite ultra... qui te eduxerunt...*)

⁷⁶ Cf. ACTA SANCTORUM, Maii t. I, p. 15: «*Acta Sancti Philippi:* «*Dixerat, cum secuta est illi importune membrorum distorsio; manus autem subito exaruit, oculus praeterea excaecatus est ambaeque aures obsurduerunt...*»; Septembris t. VI, p. 224: *Acta Sancti Matthei Apostoli et Evangelistae;* SURIUS, *Historiae seu vitae Sanctorum*, vol. 11, p. 749: *Passio Sancti Andree Apostoli*, 13.

⁷⁷ Mc 9,25

⁷⁸ Lc 6,18

⁷⁹ Hab 1,6

⁸⁰ Hab 1,7.8 (Vg. mut om)

⁸¹ GLO. ORD., Num 24,27

bellis. Sicut enim alios conculcabat, ita ab aliis conculcabatur, unde Chaldaeи destruxerunt Ierusalem, et ipsi destructi sunt a Cyro et Dario. Et non tantum ab extraneis, sed etiam a seipsis consumebantur. Unde sequitur: *Cuius flumina*, idest bellum intestinum, effusiones sanguinum, *diripuerunt terram eius*.

Gratias ergo agamus Iesu Christo, qui a tam infideli ac barbaro populo munus hodie, fidei primitias, dignatus est suscipere et ex eis Ecclesiam suam, quae nos sumus, congregare. Ipsi honor et gloria per aeterna saecula. Amen.

V - Sermo moralis

10 - *In tempore illo* etc. Nota quod, in hac auctoritate septem genera peccatorum mortalium ponuntur, quibus aliquando aliqui irretiti iam ad poenitentiam per Dei gratiam sunt conversi. Populus divulsus, superbia; dilaceratus, avaritia; terribilis, ira; gens expectans, vanagloria; conculcata, invidia; duo flumina, gula et luxuria. De singulis proponamus.

Populus divulsus, populus superborum. Sicut ventus arborem divellit, sic superbia separat hominem a Deo, unde Iob XIX: *Velut evulsae arbori abstulit*, idest auferri permisit, *spem meam*⁸³. Spes hominis, Deus; a quo tunc disiungitur, cum a radice humilitatis vento superbiae divellitur. Nec mirum. ‘Superbia dicta, super se iens’⁸⁴; ‘humilitas, humili vilitas’⁸⁵. Superbus ascendit; Deus descendit. Et quid magis contrarium vel sibi oppositum? Ille in sublimi; iste in humili. Divulsus est ab eo; cui non placet vel adhaeret nisi humili. Radix, vita arboris; humilitas, vita hominis. Si aliquis in horto suo arborem fructiferam et pulchram haberet, si a vento funditus divelleretur, nonne doleret? Utique! O quanto magis dolendum, cum anima nostra vento superbiae divellitur a suo Creatore, qui ante omnia superbiam detestatur, ‘qui superbis resistit’⁸⁶, qui ‘potentes deponit’^{87a}. Superbia enim casum habet^{87b}; qui est in imo, securior est illo qui est in alto. Et ideo, ut dicit Seneca, ‘Redige te ad parva, a quibus cadere non potes’⁸⁸.

11 - Item, *populus dilaceratus*, populus avarorum et usurariorum. Sicut aves vel bestiae cadaver dilacerant, sic daemones avaritia dilacerant cor avari vel usurarii. Unde Nahum III: *Vae, civitas sanguinum, universa mendacii dilaceratione plena. Non recedet a te rapina*⁸⁹. ‘Anima vivit in sanguine’⁹⁰, pauper in propria re. Aufer homini sanguinem, pauperi rem suam, uterque moritur. Raptiores ergo et usurarii, quia aliena auferunt, ideo civitas sanguinum dicuntur. Dicitur in NATURALIBUS, quod ‘elephantis habent sanguinem frigidissimum, dracones vero venenosí valde desiderant bibere illum sanguinem, et ideo, quando magnus est calor, cum eis pugnant, ut sanguinem auferant’⁹¹. Sic avari et usurarii, veneno avaritiae infecti, aliena sitiunt. Sanguis pauperum, frigidus; sic et res ipsorum. Paupertas et nuditas non permittit eos calefieri, sed cum calor necessitatis exarserit, tunc invadunt, tunc accommodant, ut sanguinem emungant.

Vae ergo, *civitas sanguinum, universa mendacii* etc. Mendacium est in lingua, dilaceratio in corde, rapina in manu. Dicitur in secundo Machabaeorum ultimo, quod Iudas ‘linguam impiissimi Nicanoris praecisam iussit particulatim avibus dari’⁹². Nicanor, ‘qui interpretatur stans lucerna’⁹³, est usurarius, qui videtur stare et lucere, sed cito ruet, et tunc extinguetur. Unde Iob XXI: *Quoties lucerna impiorum extinguetur?*⁹⁴ et XVIII: *Nonne lux impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis eius?*

⁸² Num l.c. (Vg. ... et cunsurget virga de Israel).

⁸³ Iob 19,10 (Vg. Quasi...).

⁸⁴ Cf. ISID., *Diff. I,504*, PL 83,61: «Dicta autem superbia, quia super vult quam quod est».

⁸⁵ Cf. ISID., *Etym. X,116*, PL 82,379: «Humilitas, quasi humo acclinis».

⁸⁶ Cf. 1Pt 5,5

^{87a} Cf. Lc 1,52

^{87b} Cf. HUGO DE S. VICTORE, *Expositio in regulam S. Augustini*, PL 176,887: «Superbia enim casum habet».

⁸⁸ SENECA, Epistola 20.

⁸⁹ Nah 3,1

⁹⁰ Cf. Deut 12,23 et GLO. ORD., ibi.

⁹¹ Cf. SOLINUS, *Polyhist*, 38: «Elephantis, ut aiunt, copiosior et frigidior inest sanguis, et ob id a draconibus avidissime torrente captantur aestu».

⁹² Cf. 2Mach 15,33

⁹³ HIER., *De nominibus hebraicis*, PL 23,893..

⁹⁴ Iob 21,17

Lux obtenebrescit in tabernaculo eius et lucerna quae super eum est extinguetur ⁹⁵. Lucerna habet duo: lucem et ardorem. Sic avarus: lucem humani favoris, ardorem lucri temporalis; cum in morte extinguetur, utroque privabitur; quia lingua eius in multis mendaciis fuit partita, ideo daemonibus dabitur praecisa; vel, quia pro peccato linguae diversimode punietur. Cor eius dilaceratur, quia ‘cum labore acquirit, cum timore custodit, cum dolore perdit’ ⁹⁶. Usurarium totum diabolus tenet, quia manum per rapinam, ne eleemosynam faciat, cor acquirendi per dilacerationem, ne bonum cogitet, linguam per mendacium, ne orationem vel aliud bonum proferat.

12 - Item, *populus terribilis* sunt iracundi vel furibundi. Unde Iob XVI, de diabolo vel homine iracundo: *Collegit, inquit, furorem suum in me; et comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est* ⁹⁷. Vide quam terribilis, cum homo ira succenditur: corrugatio in fronte, pallor in facie, contractio in nare, torvitas in oculis, livor in labiis, stridor in dentibus, flagellum in manibus. Non videtur homo talis nisi belua terribilis. Et ideo adiungit: *Post quem non fuit alius homo ita crudelis, ita bestialis*. Unde dicitur de Nabuchodonosor, Daniel IV: *Cor eius ab humano commutetur, et cor ferae detur ei* ⁹⁸. “Non intelligas quod corporis mutationem, sed quod mentis alienationem Nabuchodonosor est passus. Ablatus est ei usus linguae ad loquendum; et videbatur ei quod bos esset in anterioribus et leo in posterioribus” ^{98bis}. Sic ira succensus mentis alienationem patitur, recto loquendi modo privatur. Primo, velut bos, cornibus, idest minis et blasphemii, ventilat; postea, tamquam leo, manibus et pedibus dilaniat.

13 - Item, *gens expectans* sunt hypocritae et vanegloriosi: pro omni opere quod faciunt mercedem laudis, ut mercenarii, expectant. Dicitur in Ioanne X: Mercenarius *videt lupum venientem et dimittit oves et fugit* ⁹⁹. Lopus, diabolica suggestio; oves, bonae cogitationes. Qui non ob amorem iustitiae, sed propter mercedem vanaegloriae operatur, de facili tentationi cedit, et si quod boni erat propositum dimittit. De tali expectatione dicitur in Psalmo: *Potabunt omnes bestiae agri, expectabunt onagri in siti sua* ¹⁰⁰.

Nota quod, duo sunt genera onagrorum: unum est in Hispania sine cornibus, aliud est in Graecia cum cornibus. Duo sunt genera hypocitarum. Quidam enim hypocritae sunt velut sine cornibus, qui in iniuria sibi illata videntur mansueti, in tribulatione quieti, honorari quandoque renunt; sed hoc totum astute faciunt, quia, fugiendo gloriam, gloriam quaerunt. Alii hypocritae sunt cornuti, qui, ad primum iniuriae verbum, cornua superbiae erigunt, et quales intus latebant foris ostendunt. ‘Onager dicitur ab *onos*, quod est asinus, et *agro*’ ¹⁰¹. *Ager est mundus* ¹⁰². Hypocritae ergo, tam illi quam isti, asini mundi, cui serviunt, expectant mercedem laudis vel pecuniae, et hoc *in siti sua*, qua ardent, et ideo non quiescent donec aliquid hauriant. Sed *bestiae*, idest simplices, ‘potant in gaudio de fontibus Salvatoris’ ¹⁰³, cuius duo sunt fontes, gratia scilicet et gloria. De primo fonte potant in re, de secundo in spe, quandoque potatur in specie.

14 - Item, *gens conculcata* sunt invidi, qui aliorum felicitate torquentur et conculcantur: ‘Invidia maius non invenere tyranni tormentum Siculi’ ¹⁰⁴. Unde primo Regum XVIII: *Percussit Saul mille, et David decem millia. Iratusque est Saul nimis et displicuit in oculis eius sermo iste; dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi dederunt mille. Quid ei superest nisi solum regnum? Non rectis*

⁹⁵ Iob 18,5-6

⁹⁶ Cf. BERN., *De conversione ad clericos*, 8,14. PL 182,842; *De diversis*, sermo 42,3, PL 183,662

⁹⁷ Iob 16,10

⁹⁸ Dan 4,13

^{98bis} P. COMESTOR, *Historia scholastica*, liber Danielis, 4, PL 198,1452

⁹⁹ Io 10,12

¹⁰⁰ Ps 103,11

¹⁰¹ Cf. ISID., *Etim.* XII,1,39, PL 82,429: «*Onager* interpretatur *asinus ferus*, ὃνον quippe Graeci *asinum* vocant, ἄγριον *ferum*».

¹⁰² Mt 13,38 (Vg. *Ager autem...*)

¹⁰³ Is 12,3

¹⁰⁴ Cf. HORATIUS, Epist. I,2,58-59: «*Invidia Siculi non invenere tyranni // Maius tormentum...*».

*ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa et deinceps*¹⁰⁵. Ecce quomodo torquebatur, quomodo conculcabatur.

15 - Item, *flumina*, gula et luxuria. ‘Chobar et Tigris, duo flumina Babylonis’¹⁰⁶. “Chobar interpretatur gravitudo”¹⁰⁷, haec est gula, de qua Luca XXI: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis huius vitae, et superveniat in vos repentina dies illa*¹⁰⁸. *Tigris*, ‘bestia variis distincta maculis, virtute et velocitate mirabili, a qua *Tigris* fluvius dicitur’^{109/a}, est luxuria; quae variae delectationis maculis respergitur; quae fortis est, dum suggerit; velox, quia cito transit. Unde beatus BERNARDUS: *Futura cruciat, praesens non satiat, praeterita non delectat*^{109/b}. Haec duo *flumina terram*, idest mentem eius, idest ipsius hominis, cuius haec sunt, *diripiunt*, quia paulatim consumunt.

Audivimus omnium istorum miseriam; consideremus et Dei liberantis de tanta miseria misericordiam. Ecce, in hoc tempore divinae benignitatis et misericordiae, defertur a supradictis peccatoribus munus poenitentiae Iesu Christo, Domino exercitu, idest caelestium virtutum. Deferatis et vos, carissimi, munus cum tribus Magis, aurum scilicet contritionis, thus confessionis, myrrham satisfactionis, ut ab ipso Iesu Christo, munus gloriae recipiatis in caelo. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

¹⁰⁵ 1Reg 18,7-9 (Vg. *Iratus est autem...*)

¹⁰⁶ Cf. Ez 1,1,3; GLO. ORD., Ez 1,1: «*Iuxta flumen Chobar*. HIER., Chobar, proprium nomen fluminis. Vel, quia grave, interpretatur Tigrim vel Euphratem; et omnia magna et gravissima flumina quae in terra Chaldaeorum esse perhibentur, significatur»; GLO. ORD., Ez 1,3: «*Chobar*. HIER. Danieli quoque, qui et ipse in Babylone erat iuxta flumen, futurorum sacramenta panduntur seper aquas...».

¹⁰⁷ HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,880

¹⁰⁸ Lc 21,34 (Vg. *Attendite autem...*)

¹⁰⁹ Cf. ISID., *Etym.* XII,2,7, PL 82,434: «*Tigris* [...], bestia variis distincta maculis, virtute et velocitate mirabilis, ex cuius nomine flumen *Tigris* appellatur».